

Dixi secundo in themate, quod cesar noster ·N· dum viveret cuique rectum iudicavit, ut dei mandat lex, quia dicitur: senex. Et quis est, dices mihi, vel fuit ille senex? Respondeo: Cesar augustus K[arolus] Boem[ie] rex inclitus. Non tantum senex fuit etate, sed etiam canutus sensu et probitate iuxta illud: *Cani sunt sensus hominis et etas^h senectutis vita immaculata*, Sap. 4, 8. Dico ergo tibi de multis suis virtutibus pauca perstringens quis vel qualis fuerit ille senex:

Hic est magnus imperator cesar rex augustus.
 Hic est legum moderator iudex verax iustus.
 Hic est dei venerator a vite innocencia,
 hic pravorum castigator dives in clemencia.
 Hic est pacis adamator, pius rex et nobilis,
 hic est regum dominator, sed mitis valde humilis.

P r i m o d i c o, quod hic est magnus et cetera. Iste revera fuit titulus eius, quo litteras regie maiestatis signabat. Karolus IIII^{us} divina favente clemencia Romanorum imperator et Boem[ie] rex semper augustus, et descendit a verbo augeo, auges, augere. Ipse namque adauxit rem publicam et terminos regni Boem[ie] longe lateque defixit. Adauctus *gloria et honore* diebus vite sue, quibus *coronavit eum* dominus [Ps. 8, 6]. **P r o s e c u n d o** ... Nota in sermone Preciosa fuit anima mea, ubi ipse comendatur a lege et iusticia, de qua satis ibi²²⁾. **P r o III^o**: Scivitⁱ namque illud: *Dominum deum tuum adorabis et illi soli servies* [Mt. 4, 10]. Cuius rei gracia dicebat: *Confitebor tibi, domine, in toto corde meo, quoniam audisti omnia verba oris mei* ... usque *nomini tuo*; in Ps. [137, 1]. Nota Augustini in sermone de quadragesima; item de penitencia; item de vita solitaria. **P r o 4^o** ... Habes^k in sermone prefato, ubi commendatur a ritu et clemencia et cetera²³⁾. **P r o V^o**: Ipse ·N· fuit princeps pacificus, pacem propugnavit et dilexit, sciens quoniam beati pacifici, *quoniam filii dei vocabuntur* [Mt. 5, 9]. Unde hanc laudans ait beatus Augustinus: *Pax est serenitas mentis* ... et cetera, usque *observare*²⁴⁾. Et quia pacem dilexit, *in pace factus est locus*

h) estas Ms.

k) habens Ms.

i) sitivit Ms.

²²⁾ Siehe oben S. 212.

²³⁾ S. 213.

²⁴⁾ Aus dem Manipulus Florum (siehe S. 205 Anm. 1); dort steht unter dem Stichwort „pax“ genau der Text *pax est serenitas* ... *observare* mit der Quellenangabe: Augustinus, De verbis domini capitulo 58.